

In articulo quarto excludit a formali, et essentiali ratione beatitudinis actum voluntatis, licet consequatur ad illam. Nam formalis beatitudo est ipsa adeptio summi boni. Actus autem voluntatis formaliter non adipiscitur bonum: quia vel est amor rei absentis, non habitæ; et sic non adipiscitur illud, sed distat ab eo. Vel est amor rei habitæ, et præsentis, seu conjunctæ; et sic jam supponit adeptionem, et consequitur delectatio. Ipsa ergo consecutio finis alio actu fit, quam amoris. Quod si accipiamus. amorem antecedenter se habentem, et præscindentem a re habita, vel non habita, ille etiam præscindet ab adeptione, et possessione talis rei, et sic non erit beatitudo. Nec potest amor esse rei habitæ per ipsummet amorem: quia amor necessario supponit objectum cognitum, et apprehensum, et ipsa possessio, et conjunctio rei habitæ, debet esse cognita ut ametur, et placeat; ergo et antecedere actum amoris.

In articulo quinto ostendit operationem hanc quæ est beatitudo, principaliter consistere in intellectu speculativo, quam practico: quia contemplatio est superior, et perfectior operatio, magisque attingit rem divinam.

In articulo sexto ostendit perfectam beatitudinem non consistere in consideratione scientiarum speculativarum, quia hæc consideratio non se extendit ultra prima principia, in quorum virtutem resolvitur tota illa scientia. Hæc autem principia, cum sint accepta per sensum, non manifestant aliquid, quod in sensibilibus non sit contentum, et ad quod per sensibilia non possit duci. Non possumus autem per sensibilia duci in cognitionem substantiarum separatarum, et multo minus ipsius Dei in se; ergo per tales scientias non potest perfecte, et summo modo perfici intellectus; ergo neque beatificari.

In articulo septimo ostendit, quod neque in cognitione substantiarum separatarum, quales sunt Angeli, consistit beatitudo: quia tales substantiæ habent esse limitatum, et participatum; ergo et veritatem limitatam, et intelligibilitatem participatam; ergo non possunt satiare totam capacitatem intellectus, et summum bonum ei præbere quia hoc infinitum est.

In articulo octavo ostendit beatitudinem hominis consistere in visione divinæ essentiæ: quia quantumcumque ex effectibus cognoscatur Deus, quoad an est, semper tamen restat homini inquirendum cognoscere de illa prima causa, quid est; et sic non remanet plene satiatus appetitus. Ultra visionem autem talis quidditatis, et essentiæ primæ causæ, nihil restat, quia illa essentia est omnium entium supremum; ergo ibi est summum bonum, atque adeo beatitudo.

QUÆSTIO IV.

DE HIS, QUÆ AD BEATITUDINEM EXIGUNTUR.

SUMMA LITTERÆ.

Ea quæ ad beatitudinem exiguntur, aut tenent se ex parte animæ, aut ex parte corporis; aut ex parte exteriorum bonorum; aut ex parte societatis amicorum.

In quatuor primis articulis tractat ea, quæ requiruntur ex parte animæ, scilicet, tam in intellectu, quam in voluntate. Ex parte intellectus requiritur visio tamquam perfecta cognitio finis, et deinde comprehensio, seu tentio illius, quæ non est aliud ab ipsa visione, ut dicit in articulo tertio ad tertium, sed importat præsentiam rei visæ, quatenus illam facit præsentem voluntati, cui ante erat absens, et per spem quærebatur. Ex parte vero voluntatis est delectatio, quæ ad præsentiam, et tentionem summi boni consequitur, licet visio, ad quam sequitur principalior sit: quia delectatio est propter operationem, non contra. Et præter delectationem, est etiam rectitudo voluntatis, tum antecedens disponendo voluntatem ad consequendum finem, sicut materia disponitur ad formam: tum concomitans, aut consequens, quia voluntas videntis Dei per essentiam omnia amat sub ordine ad Deum, quia ipsum semper, et necessario amat, ergo non potest averti ab ejus amore.

In articulo quinto et sexto tractat ea, quæ requiruntur ad beatitudinem ex parte corporis. Et in primis supponit, quod beatitudo perfecta, quæ consistit in visione Dei, non dependet in se formaliter, et intrinsece a corpore, cum sit operatio illa intellectiva. Dependet tamen a corpore, quantum ad quemdam statum melius essendi; quia anima connaturalius est corpore, quam extra. Deinde ostendit requiri perfectionem corporis, ad consummatum statum beatitudinis, quia oportet quod sit tale corpus, quod non aggravet animam, nec tædium illi inferat, sed potius ex plenissima animæ beatitudine redundet in corpus vigor incorruptionis.

In articulo septimo ostendit, quod exteriora bona quibus utimur in hac vita, quasi adminiculis, ad perfectam illam beatitudinem, non requiruntur; quia nec ad operationem animæ, quæ videt Deum necessaria sunt, cum sit operatio spiritualis; nec ad corporis commoditatem; cum totaliter sit subjectum spiritui, non animalem vitam agat.

In articulo octavo ostendit ad illam beatitudinem perfectam visionis Dei, non requiri de necessitate societatem amicorum, cum sola Dei fruitione perficiatur; ad bene tamen esse, et ad statum abundantissimum, etiam de plurium societate gaudium eis erit.

QUÆSTIO V.

DE ADEPTIONE BEATITUDINIS.

SUMMA LITTERÆ.

Etsi visione Dei consequatur quis beatitudinem, tamen quomodo specialiter homo eam consequatur, et quomodo in illo sit, specialem habet difficultatem, et ideo specialiter de adeptione ejus ab homine hic inquiret.

Igitur in duobus primis articulis supponit D. Thomas duo. Primum, quod possibile est homini consequi beatitudinem. Secundum, quod potest unus esse beator alio. Primum determinat in primo articulo, quia homo est capax universalis boni per intellectum, ergo perfecti boni, ergo beati: ac denique est capax visionis beatæ per elevationem, in qua visione consistit beatitudo. Secundum vero ostendit articulo secundo, quia licet in ipso sum-

mo bono, quod est beatitudo, non sit magis et minus, quia summum est; in adeptione tamen hujus boni potest esse magis et minus, quia diverso modo ad illud percipiendum potest homo esse dispositus.

In articulo tertio ostendit beatitudinem perfectam in hac vita ab homine haberi non posse, quia essentia divina in se videri non potest in hac vita, cum nihil hic cognoscamus, nisi per sensus: et præterea vita ipsa est tot pœnalitatibus, et malis subjecta, et tandem ipsa morte finitur, ut cum ea vera beatitudo componi non possit.

In articulo quarto ostendit, quod licet imperfecta beatitudo, qualis in hac vita habetur, possit amitti, perfecta tamen beatitudo amitti non potest; tum, quia ipsa amissio esset magnum malum, et non assecrari circa illam, magna inquietudo; neutrum vero compati potest cum beatitudine, quæ est summum bonum: tum, quia visio essentiæ divinæ, in qua consistit beatitudo, non potest amitti ex parte videntis, quia non potest ab illa averti, cum sit summi boni fruitio; nec ex parte Dei se subtrahentis, quia hæc subtractio esset magna pœna, et hæc supponeret culpam, quæ in beato esse non potest; nec ab alio agente potest tolli, quia illa unio mentis ad Deum, super omnia agentia creata elevatur, cum a solo Deo fiat.

In articulo quinto ostendit, non posse hominem per sua naturalia consequi illam perfectam beatitudinem, quia visio divinæ essentiæ est supra omnem creaturam; ergo super omnia naturalia hominis principia, et cujuscumque alterius creaturæ: a quacumque enim distat Deus in infinitum, ut videatur in se.

In articulo sexto ostendit nullius creaturæ superioris actione posse hominem consequi visionem beatam, seu a solo Deo; quia cum excedat omnem virtutem creatam visio Dei, nullius creaturæ virtute obtineri potest.

In articulo septimo ostendit requiri ad consecutionem beatitudinis opera bona, tamquam debita dispositio voluntatis ad illum finem. Et licet posset Deus simul facere voluntatem recte tendentem, et consequentem finem; non tamen id decuit, quia ea quæ sine motu rei obtinentur, quasi naturaliter insita videntur; quæ vero naturaliter non debentur, aliquo motu in suo termino consequuntur.

In articulo octavo ostendit, omnes appetere beatitudinem in communi, id est, rationem boni perfecti ut sic, non in speciali, et determinate, quia non omnes cognoscunt in quo consistat.

DISPUTATIO II.

DE ADEPTIONE, ET STATU BEATITUDINIS,
ET CONSEQUENTIBUS AD EAM.

ARTICULUS I.

Quæ sint, certa, et præsupponenda circa beatitudinem: quæ tractanda?

I. Quæ in præsentibus disputari possent de visione divinæ essentiæ, in qua certum est nostram supernaturalem beatitudinem consistere, late

a nobis tractata sunt primo tomo prima parte circa quæstionem XII, a disp. XII, usque ad quintam decimam, ubi videri possunt. Nunc ea solum a nobis tractanda sunt, quæ rationem beatitudinis, conditionesque ac statum illius concernunt. Est enim beatitudo, adeptio summi boni, et est status omnium bonorum aggregatione perfectus. Unde oportet explicare hunc statum, quis sit; et hæc adeptio quomodo fiat. Quæ item accidentia, vel perfectiones consequantur ex hac adeptione, et comitentur hunc statum, tamquam conditiones illius; sicut inamissibilitas beatitudinis,

impeccabilitas delectatio summa, aliæque dotes, tum animæ, tum corporis.

Oportet autem præsupponere, et præ oculis habere duplicem acceptionem beatitudinis, alias est enim beatitudo formalis, alia objectiva: sicut de ipso fine distinximus præcedenti disputatione, articulo primo quod alius est finis qui, seu res ipsa finalizans; alius est finis quo, seu adeptio, et consecutio, aut apprehensio finis; sicut avarus habet pro fine objectivo, seu re assequibili ipsam pecuniam, ejus vero possessionem, seu acquisitionem habet pro fine quo, id est, pro eo quo finem ipsum objectivum possidet, aut fruitur. Sic beatitudo objectiva est ipsum summum bonum, seu res illa quam intendimus acquirere, ut in illa beatificemur. Beatitudo vero formalis est ipsa adeptio, qua formaliter nobis inest, et conjungitur ac tenetur res illa beatificans.

II. De beatitudine objectiva non est nobis disputandum, sed præsupponendum quod sit. Frequenter autem D. Thomas in his quæstionibus, præsertim in tertia distinguit beatitudinem perfectam, seu ultimam, qualis in alia vita habetur; et beatitudinem imperfectam, seu participatam, qualis in hac vita haberi potest, vel secundum spem, et tendentiam ad futuram gloriam, sicut dicit Apostolus ad Rom. VIII: *Quod spe salvi facti sumus*: vel etiam secundum pura naturalia, qualiter homo vel Angelus, si crearentur sine gratia, et sine ordinatione, et elevatione ad ordinem supernaturalem, possent in suo statu puræ naturæ aliquam felicitatem, et beatitudinem imperfectam habere.

III. Quocumque vero modo sumatur beatitudo objectiva, sive pro naturali, et imperfecta, qualis in hac vita haberi potest; sive pro supernaturali, et perfecta, est supponen-

dum quod in nulla re creata potest consistere. Quod utique tam ex fide constat, quam ex ratione naturali, idque optime probat S. Thomas in tota hac quæstione secunda, et in III contra gentiles a capite XXVI, usque ad septimum trigesimum. De fide constat, nam in primis Ps. LXXXII, absolute, sive pro hac vita, sive pro alia Scriptura dicit: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam*. Deinde manifeste eadem Scriptura docet in visione Dei esse omne bonum, omnem satietatem, et repletionem, omnem sufficientiam, vitam æternam, etc. quæ sunt conditiones veræ, et propriæ beatitudinis. Nam Exo. XXXIII Moysi petenti a Deo ut ostenderet ei gloriam suam, respondit ei Dominus: *Ego ostendam tibi bonum*, quod utique est gloria ipsius; alioquin non respondisset directe ad petitionem Moysi. Et Psal. XVI dicitur: *Satiabor cum apparuerit gloria tua*: Psalm. XXXV: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et torrente voluptatis tuæ potabis eos, quia apud te est fons vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen*. Item Philippus dicit Joan. XIV ad Jesum: *Domine ostende nobis Patrem, et sufficit nobis*. In ostensione ergo Dei tota sufficientia. Similiter Joan. XVII dicitur: *Hæc est vita æterna ut cognoscant te, Deum verum*. Nam quod aliqui interpretantur hunc locum de cognitione Dei per fidem in hac vita, non per claram visionem, ut refert Vazquez hic disp. XI, c. III, hoc non obstat, quia cognitio per fidem non est ipsa vita æterna formaliter, ut de se patet, quia non facit nos hic viventes vita æterna, sed virtualiter, et initiative, quatenus per fidem cum charitate operamur ad assequendam vitam æternam: ergo si id quo consequimur vitam æternam est cognitio Dei, quæ habetur per fidem, utique ipsa vita æterna in se erit cognitio Dei altior fide, quæ

utique est clara ejus visio : nam cognitioni obscuræ per fidem succedit visio juxta illud ad Corinth. XIII : *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem* : et I Joan. III : *Cum apparuerit similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est*. Quæ omnia explicant nobis beatitudinem plenam, et perfectam in nullo creato inveniri, sed in solo Deo, id enim significatur Psal. CXLIII, ubi multa enumerat pertinentia ad abundantiam, et felicitatem creatam, in quibus aliqui beatitudinem ponebant, nec tamen in illis dicitur esse beatitudo, sed in Deo : *Promptuaria, inquit, eorum plena, eructantia ex hoc in illud, oves eorum fetosæ abundantes in egressibus suis, boves eorum crassæ, non est ruina maceræ, neque transitus, neque clamor in plateis eorum : beatum dixerunt populum cui hæc sunt; beatus populus, cujus Dominus Deus ejus*. Unde concludit Augustinus XIX de civitate, c. XXVI : « Quod vita carnis anima est, ita beata vita hominis, Deus est. »

IV. Ratione autem naturali probat D. Thomas in nullo creato consistere beatitudinem hominis, tum discurrendo per illa perfectiora bona quæ maxime videntur appetitum movere, sed non possunt satiari : tum generali ratione includente omne genus boni creati. Et supponitur semper hoc principium, quod beatitudo est summum, seu supremum bonum creaturæ rationalis (irracionales enim non sunt capaces beatitudinis, quia ad irrationalia solum pertinet servire, non præesse; in servitute autem non est felicitas) et sic oportet quod beatitudo, et felicitas hominis, pro parte intellectiva ei conveniat. Pars enim sensitiva non est magis perfecta, et consequenter neque in illa est summa perfectio, et summum bonum. Si ergo ea bona creata, quæ majora, et per-

fectiora sunt, magisque appetibilia non possunt hominem beatificare, et summum bonum ei præbere; quanto minus poterunt ea, quæ inferiora et sordidiora sunt? Discurret autem D. Thomas per bona excellentiora, et appetibilia, ut sunt divitiæ, honor, fama, potestas, voluptas; denique bona alia, corporis, vel animæ. Et de unoquoque sigillatim sumpto probat non posse finis ultimi, atque adeo nec beatitudinis rationem obtinere, quia vel excellentiora ipso homine non sunt, atque adeo non potest homo ad illa ordinari, ut ad finem, ut divitiæ, et quæcumque corporis bona, aut animæ dotes : vel excellentiam ipsam jam supponunt, non præbent, ut honor et fama, quæ signum aut notificatio sunt excellentiæ habitæ : aut denique indifferenter se habent ad bonum, vel malum, ad abutendum illis, vel utendum, sicut potestas, et etiam divitiæ, et honor. Et potestas sicut apud nos habetur, mille malis est obnoxia, et curis oppressa ut conservetur, ut ei non resistatur, ut recte gubernet, etc. Voluptate quoque in malum abuti possumus; et ipsa non est assecutio ipsius boni, sed jam consecuti delectatio. Quæ omnes rationes supra in summa litteræ quæstionis secundæ a nobis sunt breviter affectæ. Et specialiter legendus est D. Thomas articulo quarto hujus quæstionis secundæ, ubi optimis rationibus ostendit nullum exteriorum bonorum posse esse summum hominis bonum, seu beatitudinem; tum quia sunt bona fortunæ, et æque eveniunt bono, et malo; tum quia illis abuti quis potest in malum; beatitudo autem nullum malum compatitur; tum, quia de se multam insufficientiam habent; potest enim abundare illis, qui caret sapientia, ingenio, sanitate, robore, etc. multam etiam sollicitudinem, et timorem afferunt, ut

potestas, et divitiæ, quæ non nisi multa cura acquiruntur et conservantur. Beatitudo autem nullo timore turbatur, nulla sollicitudine pungitur, nulla insufficientia afficitur. Ergo nullum istorum summum bonum, et beatificum est.

V. Denique probat in universali D. Thomas non posse consistere beatitudinem in aliquo bono creato : quia quodlibet bonum creatum limitatum, et particulare bonum est; quilibet autem intellectus universalitatem habet erga omne ens, quæ est universalitas syncategorematicæ infinita ex parte capacitatis, seu potentialitatis, quia cujuscumque entis intelligendi capax est; ergo nullo bono creato plene satiari, et repleri potest, sed in solo bono universali, et infinito, quod est ipse Deus, de quo dicitur Psalm. CII : *Qui replet in bonis desiderium tuum*.

VI. Nihilominus hæc ratio D. Thomæ (quæ demonstrativa est) videtur pati instantiam. Nam in primis, tota creaturarum collectio est infinita, cum creaturæ, producibiles infinitæ sint. Ergo in illarum cognitione, et fruitione quietabitur appetitus, et intellectus noster, si quidem universalitas, et capacitas illorum, etiamsi infinita sit syncategorematicæ, actu tamen finita est; ergo proportionate, et adæquate ad illam se habebit tota collectio creaturarum, quia hæc etiam retinet infinitatem in extensione et numero, cum finitate in essentia, et substantia. Secundo, quia dato, quod non sufficiat tota collectio creaturarum, sed necesse sit ipsum infinitum bonum attingere, adhuc non sufficit hoc replere totam capacitatem creaturæ, quia secundum capacitatem obedientialem, data quacumque visione Dei, adhuc est capacior majoris visionis, et beatitudinis : ergo adhuc non est impleta tota capacitas, quia plus potest videre; et si non erit

beatus in sola visione Dei, sed in summa visione, qualis est comprehensio, quæ tamen creaturæ impossibilis est : citra comprehensionem autem semper restat capacitas ad majorem beatitudinem; ergo non impletur tota capacitas; ergo non beatificatur.

VII. Si dicatur sufficere totam capacitatem naturalem esse impletam, licet non tantam obedientialem, contra est, quia visio clara Dei in se, non convenit homini secundum capacitatem naturalem, sed secundum obedientialem : ergo si hanc non replet, non beatificat, quia secundum hanc fit beatificatio illa perfecta et supernaturalis. Tertio, quia etiam in statu puræ naturæ, est homo capax alicujus ultimi finis, et beatitudinis : alias homo secundum suam naturam quiescere non posset in adeptione finis, quod tamen conceditur cuilibet rei, etiam inanimatæ. Sed homo in pura natura non potest adipisci Deum in se ipso : ergo debet habere finem in aliquo infra Deum, ergo in aliquo creato, et sic finis ejus connaturalis, aliquid creatum est. Res vero divina non est finis connaturalis hominis, sed supernaturalis, nec naturaliter delectatur de illo, aut desiderat illum, sed solum supernaturaliter.

VIII. Ad primum respondetur quod tota collectio infinita creaturarum, non est pertransibilis, et attingibilis extra Verbum per proprias species, et in propria natura. Et dato quod esset pertransibilis, et attingibilis non esset sufficiens beatificare hominem; imo maxime relinqueret ipsum suspensum, et hiantem ad causam totius illius collectionis creaturæ, quæ ipsum lateret, ut supponitur. Primum patet; quia cum tota collectio creaturarum sit infinita, non potest pertransiri, si quælibet per speciem propriam, et adæquatam sibi intelligatur, et successive